

P V I S



1 6 0 3

In nuptias
VIRI PIETA-
TE, VIRTUTE
ORNATISS. DOCTISSI-
miq; Dn. Ioachimi Guthani, illustris
scholæ Soraborum Hypodida-
scali II. sponsi,

&
PVDICISS. VIRGINIS
WALBURGIS, HONESTISSI-
mi ac Senatorij ordinis Seruestæ viri Dn.
Johannis Busij F. sponsæ.

carmina
scripta ab amicis.

SERVESTÆ
Excudebat Bonaventura Faber.

ANNO M. D. XCVI.



EPIGRAMMA AD DN. IO-
achimism Guthanum collegam & amicum
singularem II. Sponsum &c.



Ἰ τις ἀπαξ γήρας πάλι δεύτερα λεύτερα διώκει,
Ναυηγὸς πλώει δις βυθὸν ἀργαλέον :

Vxorem qui habuit, thalamos quæritq;
secundos,

Naufragus is dubio bis natat Oceano,
Græcus ait, Tu, quæ rabido vix humida Ponto
Carbasa legisti, pandere nil refugis?
Scilicet ausa fuit quia mendax Græcia quidvis
Effutire, istis pondus inesse negas,
Et, ceu nomine sunt speras felice SECUNDOS,
Omine sic thalamos confore, Sponse, tuos,
Euentura precor: pereat malè Græcia mendax,
Verbo quod spondent, re tibi sint thalami:
Tu modò, quod par est, fatum cognominis imple,
Si coniux mater, si pater esse cupis.

Ioh: Theopoldus illustris
scholæ Prorektor.

A 2

NVPTIIS

Nuptijs
DOCTISS. ET HV MANISS. VI-
ri Dn. Ioachimi Guthan, hypodidascali scholæ
Seruestensis, Sponsi.

ERgo iterum, Ioachime, cales, iterumq; capi
Cauta parū zygia porrigis ora deæ: (stro
Qui nuper socii flebas incommoda lecti,
Cūm tumulo inferres coniugis ossa tuæ?
Sic plagæ oblitus repetit gladiator arenam,
Sic ciuratas nauita fulcat aquas.
Sed neq; perpetuis agitur fluctibus æquor,
Mitior & sæuas reprimat vnda minas:
Nec semper piccus nebulis obducitur aër,
Emicat & pulsa nube serena dies:
Nec thalamum infestat luctu fortuna perenni,
Est, quando vultu candidiore nitet.
Hoc cœptis, hoc illa tuis arrideat ore,
Sponse, ferens tedis gaudia mille nouis.
Ut vitam placido peragas cum coniuge cursu,
Vestraq; sit multa prole referta domus,
Condiat ut vobis epulas Concordia mensæ,
Tinctaq; blanditiis pocla ministret Amor,
Ut te æui saturum Vualpurgis diligat olim,
Et tibi, cum fuerit, non videatur anus.

Gregorius Petrus Gregorij F.
Berlmanus.

ORNATISSIMO AC DOCTISSIMO
Viro Dn: IOACHIMO GVTHAN,
fautori suo colendo,

N Vlla pijs rerum fors est tam dura suarum,
Quin illos vitæ spes melioris alat,
Tristia non rarò rebus dant fata secundis
Causas; & rursus mitia sæpè malis,
Hoc, IOACHIME, tibi formator docte iuventæ,
Euênit, iusto sic moderante DEO.
Visus eras nuper tedas lugere priores:
Quas incestârat funere nigra dies:
Visus eras fletus, gemitus, & vota ciêre
Corde pio: & dubiis quærere rebus opem.
Curarum nubem mutat tibi sorte serena
Pro lacrymis reddens gaudia læta, DEVS,
Nam tibi connubio, nulli virtute secunda
Virgo datur, multis condecorata bonis.
Te sibi consortem vitæ VValpurga requirit,
E multis vnum iungit amore sibi.
Redde vicem, teneram complectere Sponse puellam:
Mutua ceu par est gaudia solue tori,
Oscula miscenti verbis tua iunge vicissim;
Grata DEO præstes munera, grata toro,
Grata DEO: lectum si non discordia turbet:
Grata toro: vigeat si pia prole domus,
Assideant vestris Pax & Concordia tectis:
Ambiat & mensam pacis alumna Quies,
Sic DEVS, ille DEVS iungit qui pectora Flatu
Vos reget, & thalamo munera grata dabit:
Tempore sic duro cunctus dulcescet amaror:
Tristitiæ fugient nubila luce noua.

A 3

Addere

Addere plura velim : thalami sed cætera custos
Addet Hymen : Sponso, Sponfa, valente, Vale.

Micheas Kikelius Sil.

ALIVD.

Qui nuper vitæ defunctam, Sponse, iugalis
Deflebas sociam, tristesq; in pectore curas
Iactabas, posito capiens noua gaudia luctu
Nunc contrâ exultas (tanta inconstantia fortis
Et dubiæ, varijsq; hominum tam casibus vsq;
Vita agitur, qua non quicquam inconstantius orbe,)
Fallor? an exortæ nuper tibi culta puella
Læticiæ causam præbet, quam rupta feroci
Fædera morte tori farturam, tempora festis
Cinctus Hymen iungit tibi fertis? Aspice ocellis
Quî pudor eniteat, decoris qui ritè latentis
Signa refert, tollit dum mollia lumina virgo.
Ergo nouo, Ioachime, nouam complectere amore
Sponsam, Sponfa tui semperq; fouebit amorem.
Sic (mihi crede) DEVS, lecti qui fæderis autor,
Viuere vos multos faciet sine lite per annos,
Vos facietq; simul numerosa prole parentes.

Valentinus Petiscus Dess.

TAMHAION.

Fædera cum casta Guthanus inire puella
Dicitur, & socium velle parare torum.
Iunge, poëta, modos, sumto cane plectro hymenæū,
Carmine coniugium, carmine gaudet Hymen.
Sed

Sed quid ego? cui nec sunt vlllo tempore Musæ,
Vifa nec est Clarij limpida fontis aqua.
Nempe ita Ledæos inter strepit anser olores,
Inter lusciniaë cantica passer adest.
Quis vetat insipiens ne carmina Chærilus edat?
Sic etiam picas velle sonare reor.
Non tamen hîc Venerem; non hîc te, Iuno, vocarim,
Non erit in versu fabula ficta meo:
Ad te confugimus, te solum, Christe, vocamus,
Tu, rogo, ne placidam ferre graveris opem.
Per te legitimo sociatam iure puellam
Duxit in Elysijs primus Adamus agris,
Te duce Thariadæ Sara iungebatur, eodem
Te duce Isaaco nupta Rebecca fuit.
Vno Iacobus, te fit mediante, maritus,
Vnius & gratam percipit exul opem.
Sensit opem Galilæa tuam, laticumq; liquores
Dona inopinati vidit habere meri.
Scilicet auxilio Deus omni tempore seruat
Hos, benè qui pactum connubiale colunt.
His, iubet angelicas, vigilum de more, cateruas
Cingere defensum per mala cuncta latus.
Huc igitur, bone Christe, veni, faciliq; gubernas
Numine, quod sponsus, te duce cæpit opus.
Da liget vnanimi mentes concordia nexu,
Sæua procul diræ femina litis eant:
Sint quoq; fæcundi, sint multa prole beati,
Pignora quærit amor, pignore crescit amor.
Tempora sint vitæ, quæ Nestoris ante fuerunt,
Vincant Cumeæ secula plurima anus.
His ego, Sponse, tuum volui celebrare cubile,
Quod tibi, iam sociam quando tenebis erit.

Accipe



Accipe pacato precor hæc mea munera vultu,
Sunt ea vile aliquid, vilia & ipsa cape.
Sic tibi, quæ petij, & quæ tu petis, omnia donet,
Qui donare potest omnia, læta Deus,

Zacharias Dolserfsius Ser.

ALIVD.



Vertantur humanæ citas
Cum res in horas quælibet,
Variasq; sustineat vices
Angustus æui terminus :
Rata est vetustas, circulus
Quòd res agat mortalium,
Quem fine nullo præditum
Circumrotet fors lubrica.
Nec absq; causa : nam nihil
Firmum est in orbis ambitu,
Res sunt caducæ, gloria,
Ætas, honor, forma & genus.
Sunt mixta lætis tristia
Nec non serenis nubila,
Ac regna sæpè sustinent
Suas vices ingentia.
Vicissitudo est omnium
Rerum, atq; amorum maximè,
Quos fata mirè iungere,
Mirè solentq; soluere.
At hæc quia inconstantia
Hinc inde mentes distrahit,
Et cæca sensus in vagos

Solet

Solet mouere pectora :
Hinc prorsus impij, & tuo
Epicure porci de grege,
Negant D E V M esse, nutibus
Cuius regantur omnia.
Sanaret hæc vt maximus
Princeps sophorum Aristoteles,
Illam parente vim docet
In omnium subsistere,
Subinde quæ formas nouo
Pruritu in omnes vertier,
Ultraq; mutari petat,
Cieatq; rerum tot vices.
Sed idem eodem labitur,
Nam quanta quæso vanitas
Vario virentem gramine,
Statuere, Tellurem, Deam.
Meliora nos CHRISTI monent
Decreta summi principis,
Ex Israëlis fontibus
Petita sacris dogmata.
Quòd cuncta ceu sint corpora
Creati ab vno numine :
Sic vno in hoc sint omnia
Curante nos quàm maximè.
Ergo faceffant impii
Procul sophistæ, qui D E I
Numen colendum singulis
Ausi negare turpiter.
Et forte in omni subditus
Homo D E V M verè timens,
Seu largiatur nubila,

B

Serena

Serena siue, sit Deo.

Sit gratus in lætis pius,
Patiensq; rebus asperis,
DEVS fidelis omnia
Fidelibus vertit benè.

Macte ergo dura quòd tori
IOACHIME fata fers piè
Refers & illa quòd DEI
Accepta prouidentia.

Nam qui modò viduo DEVS
Te collocârat in toro,
Idem subire te facit
Optata rursus vincula.

Iungitq; VValpurgam tibi,
Vultu decoram candido,
Et mentis atq; pectoris
Claram puellam dotibus.

O te beatum ter quater
Talis maritæ moribus,
Summi Iehouæ quam fauor
Tribuit tibi benigniter.

Ergo tibi nunc gratulor,
Mihiq; SPONSE, gaudeo,
ET, hoc nouum vt connubium
DEVS secundet, comprecor.

Gregorius Rideburgius
Seruestanus,

ALIVD;



Ià age caste veni casta cum matre Dione
Huc Amor ad votum, non remorante pede:
Hic ope vestrà op^o est, castos conjungere amātes
Convenit, & sponsam ritè ligare proco!
Iugera mox Cypri, Damascenos mox pete pennis
Agros, & foetus arboris inde refer:
Foetus, quos tribui primis debere maritis
Dicitur Actæus constituisse Solon.
Suavis ut ex dulci respiret anhelitus ore,
Blandus & hyblæo sermo liquore fluat.
Nullus nanq; potest sermo jucundior esse,
Quàm qui sponсорum profuit ore lepos!
Hūic cedunt vatum citharæ, cedunt quoq; Phæbi
Carmina, concedit Bistonis atque Chelys.
Hic verè nexus perhibetur Amoris, & ille
Cestus, quo socios jungit amata Venus.
Cur agè, cur cessant murmilla suavia, svaves
Cur cessant morsus, sermoq; dulcis abest?
Vtere dum licitum est annis, bone sponse: senectus
Inducit rugas, jungere & ora negat!
Dum tibi Fata sinunt, felicibus utere remis,
Debitus ut Christo prole feratur honos.
Vive diu sed vive D E O. Superate senectam
Ambo Cumæam, Nestoreosq; dies.

Andreas Ferchland, S.

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





LXXIII.

72



In nuptias
RI PIETA=
VIRTUTE
ATISS, DOCTISSI
n, Ioachimi Guthani, illustris
æ Soraborum Hypodida
scali II, sponsi,

&
ICISS. VIRGINIS
RGIS, HONESTISSI-
natorij ordinis Seruestæ viri Dn,
Johannis Busij F. sponsæ.

carmina
scripta ab amicis.



SERVESTÆ
debat Bonaventura Faber.

NNO M. D. XCVI.



80

cx

